



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 82. Franciæ Delphinorum obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Sæc. XVIII. addidit, ut anno sequenti Quesnelista-
A. C. 1711. rum reflexiones & Epistolas binis in-
 structionibus, Pastoralibus solide re-
 futaret.

§. LXXXII.

Franciæ Delphinorum obitus.

Quincy t. 6. Non minus inopinatam, quam Ec-
 pag. 492. clesiæ, ac Galliæ Regno infaustram
 Limiers t. 3. fecit jacturam Regia Franciæ Domus,
 pag. 396. dum hoc anno die decima quarta Aprili-
 Mem. Hist. lis Ludovicus cognomine *Omnium San-*
 & Chron. *ctorum* Franciæ Delphinus, seu primo-
 genitus Ludovici XIV. Regis Filius in
 Meudonensi arce decessit. Erumpen-
 tes enim ruberæ maculæ (*variolas* vo-
 cant Medici) quæ provectoribus longe
 magis formidandæ sunt, quam infantibus,
 intra paucos dies dignissimi Prin-
 cipis mortem accelerarunt. Obiit annos
 natus quinquaginta, qui benignitate,
 morumque comitate, animique tene-
 ritudine excellens, nunquam quidem
 Regium solium ascendit, Regis tamen
 scilicet Philippi V. Parens exstitit, quod
 Nosteradamus Ludovico prædixisse fer-
 tur. Hujus fati nuntium Ludovicus
 ejus Filius die decima sexta Aprilis
 significabat summo Pontifici, qui datis
 ad eundem literis die quarta Novem-
 bris paterne solatus, certiozem red-
 didit.

didit, quod die undecima Maij habito Sæc. XVIII.
 Patrum Senatu Purpuratorum suffragiis A. C. 1711.
 defuncti animam commendarit, eique
 ritu solemniori parentari iusserit. Insu-
 per Pontifex hujus Principis virtutes
 deprædicabat his verbis: *Ludovicus Gal-
 licæ Delphinus ardenti, quod cum lacte hau-
 sum semper retinuit, conservandæ ac pro-
 pugnantæ orthodoxæ Religionis studio com-
 mendatur, eximia animi moderatione, co-
 mitate, prudentia, ac constanti potissimum
 in Regem inclytum Genitorem, quam in pro-
 vectiori etiam ætate semper exhibuit, reve-
 rentia spectatus, relicto universis populis
 sui desiderio plane singulari, ab humanis
 decessit.*

Eodem morbi genere anno sequenti
 die duodecima Februarii Maria Adel-
 heidis Victoris Amadæi II. Sabaudi Du-
 cis Filia, & Ludovici Burgundiæ Du-
 cis postea Franciæ Delphini Conjux,
 nonnisi annos viginti septem nata pari-
 ter vivis sublata est. Hujus obitu ejus-
 dem Maritus præfatus Delphinus tam
 intimo dolore afficiebatur, ut quamvis
 ad primum ægrotantis conjugis rumo-
 rem mox Marlyum delatus esset, eo-
 dem tamen morbo correptus, sexta
 post die decima octava Februarii anno
 ætatis suæ trigesimo naturæ debitum
 solveret, tanto omnium luctu, ut fors
 nunquam Franciæ Princeps lacrimis

Sæc. XVIII. magis sinceris, magisque copiosis de-
A. C. 1711. ploratus fuerit. Princeps erat Reli-
 gionis studio, prudentia, & scientia-
 rum præcipue sacratorum ubertate cla-
 rissimus; quanto demum fervore era-
 dicandis Quesnelli erroribus insuda-
 verit, jam meminimus. Post ejus obi-
 tum inveniebatur commentarius Theo-
 logicus de Gratia ab eodem compo-
 situs, quem tamen Quesnelistæ a Mol-
 nistis interpolatum, perperam asserue-
 runt, hoc quoque scriptum obliquis
 viis impugnarunt, editis in ejus decla-
 rationem Pontifici submissam animad-
 versionibus, de quarum tamen fato
 postea mentionem faciemus.

§. LXXXIII.

*Hungaricum bellum contra Ragot-
 sianos, & pax inde secuta.*

*Wagner
 Hist. Jos. I.
 pag. 415.
 Elect. Jur.
 Publ. t. 3.
 pag. 753.*

Munitis Hungariæ Urbibus pene ori-
 nibus ad Cæsaris obsequium re-
 vocatis rebellium res in arcto positæ
 videbantur, præter exiguas arces nonnulli
 Cassovia & Mungatfino reliquis: Hac
 temporis, rerumque opportunitate Joan-
 nes Comes Palsius Marecallus uten-
 dum ratus, verbis, literis, ac legatis
 præcipua factionis capita hortabatur,
 ut positis tandem armis Josephi Cæsa-
 ris clementiam exorarent. Permovit
 com.